

19.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

NONVLLIS AD MOTVM  
CORDIS ET CIRCVLATI-  
NEM SANGVINIS PER-  
TINENTIBVS

QVAM

PRAESIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE  
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET  
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PUBLICO  
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM  
ET PETROPOLITANAЕ UT ET REGIAE SCIENTIA-  
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS  
SODALE

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA LEGITIME  
OBTINENDIS HONORIBVS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A. d. Aug. MDCCXLII.

A VCTOR

AVGVSTVS SCHAAARSCHMIDT  
HALENSIS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



VIRIS

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXP-  
ERIENTISSIMO

DOMINO

FRIDERICO HOFFMANNO

REGI BORVSSIAE A CONSILIIS SANCTIORIBVS  
EIVSDEMQVE ARCHIATRO

ACADEMIAE FRIDERICIANAE SENIORI AC MEDICINAE  
PROFESSORI PRIMARIO COMITI PALATINO CAESAREO  
SOCIETATVM LEOPOLDINAE PETROPOLITANAE  
BRITANNICAE ET BORVSSICAE MEMBRO

PARITER ET

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
DOCTISSIMO

DOMINO

IO. HENRICO SCHVLZE

MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM  
ET PHILOSOPHIAE PROFESSORI PVBLI-  
CO ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRÆ CVRIOSORVM  
ET PETROPOLITANÆ VT ET REGIÆ SCIENTIARVM  
SOCIETATIS BEROLINENSIS SODALI

NEC

NEC NON  
FRATRI SVO DILECTISSIMO  
VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
SAM. SCHAAARSCMIDTIO

PHYSIOLOGIAE ET PATHOLOGIAE IN COLLE-  
GIO MEDICO - CHIRVRGICO BEROLINENSI PRO-  
FESSORI NOSOCOMII QVOD A CHARITATE  
NOMEN HABET MEDICO ORDINARIO  
SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-  
LINENSIS SODALI

HOC QVALE CVN QVE

PRO OBTINENDIS SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS  
EXHIBITVM SPECIMEN

IN  
PERPETVÆ OBSERVANTIAE MONUMENTVM  
CONSECRAT  
ET  
SEROS ANNOS

VIRESQVE ANIMI ET CORPORIS VEGETAS  
APPRECATVR  
SEQVE DE MELIORI COMMENDAT

AVGVSTVS SCHAAARSCHMIDT.

*Q. B. F. Q. V.*  
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**NONNVLLIS AD MOTVM**  
**CORDIS ET CIRCVLATIONEM SAN-**  
**GVNIS PERTINENTIBVS.**

**PROOEMIVM.**



Loriantur geometræ, & recte  
quidem, scientiam, quam ex-  
colunt, latissime certe diffusa-  
m, non nisi paucissimis in-  
niti principiis; sed natura his  
nihil concedit. Innumeri enim motus, ad  
corporis humani conservationem tendentes,  
ope unius machinæ, quæ omnibus arte hu-  
mana paratis infinitis modis antecellit, effi-  
ciuntur. Cor illud est, quod intendo; fa-  
cilius enim est demonstratio, nos non anima-  
lia non homines fore, si corde destitueremur.  
Non enim sanguinis solum sed omnium hu-  
morum circulatio ab hoc primo fonte potis-  
simum derivanda est. Quem vero fugit, san-  
guinis

A 3

guinis circulatione sublata, vitam & cum illa  
actiones omnes auferri. Non itaque æthiopem  
lavare aut actum agere mihi videor, si hoc  
summi artificis artificium paulo accuratius jam  
considerandum suscipere, & nonnulla ex eo  
derivare annis fvero. Novi equidem non  
defuisse ab antiquis retro temporibus eximios  
atque incomparabiles viros, qui, divino quasi  
afflatu impulsi, ad hæc quoque sacra naturæ si-  
bi pararunt viam, & cordis fabricam, cum e-  
ius functione, non invita minerva scrutati sunt.  
Deteruerunt hæc primum me a proposito, sed  
rediit animus de necessitate huius inquisitionis  
pridem persuasus, quum cognoscerem, super-  
esse adhuc nonnulla animadversione omnino  
non indigna, quibus debitum meum exsolve-  
re, & satisfacere legibus academicis possem,  
specimen dissertationis inauguralis elaboratu-  
rus. Affulgeat divinum numen nostris cona-  
tibus, ut omnia in sui ipsius gloriam ce-  
dant, quod devotissimis precibus  
rogamus.

§. I.

DE NONNVLLIS AD MOTVM CORDIS &c. 7

§. I.

**O**Mnis tractatio, secundum logicorum præcepta, a definitione initium debet ducere. Primum itaque quod mihi in præsentiarum incumbit, erit cordis definitio. Talem autem de corde realem expositurus, illius fabricam consideret neceſſe est. Definitur autem cor musculus sui generis robustifimus, in thorace reperiundus, compositus ex quatuor minoribus musculis: vide illustris HOFFMANNI *Med. Syst. Tom. I. pag. 105.* quorum duo ventriculos, duo autem auriculas constituunt. Quamvis non contradicemus illis, qui cor ex duobus tantum musculis conflari existimant; facile enim patet, illos auriculam & ventriculum tanquam unum musculum considerare. Duplex reperitur in corde cavitas, quarum major & amplior dexter, minor & angustior vero appellatur sinistra ventriculus, & ex hoc arteria aorta, ex illo autem arteria pulmonalis originem trahit; quemadmodum in hunc vena pulmonalis, in illum autem vena cava finiuntur, seseque exonerant.

§. II.

De situ cordis excellentissimus Gallorum anatomicus D.D. WINSLOWIVS omnium rectissimam nobis tradidit descriptionem, in *Histor. Acad. reg. scient. anno 1715.* Assentio divisioni hujus celeberrimi viri, quoad extremitates margines & superficies. Habet itaque cor situm transversum horizontalem, ut apex cordis, seu extremitas anterior, sextam sinistri lateris costam, basis autem seu extremitas posterior mediastinum & spinam dorsi respicit;

8 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

ciat; margo anterior est versus sternum & costas, posterior versus spinam dorsi; superficies inferior est plana & sita supra centrum diaphragmatis tendineum; superior tandem respicit thoracis partem superiorem.

§. III.

Quum cor censui musculorum adnumerari §. I. dimicimus, convenire etiam ei omnino debet, quidquid de musculo generaliter praedicatur. Perpendamus itaque, quid sit musculus, & in quo consistat ejus actio. Dicitur musculus massa ex fibris flexibilibus, vasis varii generis & nervis constans, communī membrana investita. Ope hujus structuræ agere potest musculus. Agere autem musculum dicimus, quando contrahitur simulque brevior fit. Quodsi pars quedam musculosa corporis humani unicum tantum habet fibrarum stratum, unicus quoque tantum sequitur effectus, ut testantur musculi flexores colli, qui, si agunt, collum flecent; duplex autem fibrarum inter se coharentium stratum duplē quoque exserit effectum, ut videmus in oesophago, ventriculo, totoque intestinorum canale. Praeditæ enim sunt istæ partes fibris tam longitudinalibus, quam circularibus: haec diametrum coarctando, illæ coarctationem tollendo, partemque quoad longitudinem breviorem reddendo, agunt. Id enim nos docent physiologi omnes, fibras longitudinales, in parte intus cavitatem donata, sub actione partem abbreviare, cavitatem vero secundum latitudinem ampliare, id est latera ab invicem separare, circulares seu transversales vero in actione constitutas arctare cavitatem, partis autem ipsius longitudinem augere.

DE NONNVLLIS AD MOTVM CORDIS &c. 9

re. Impossibile hinc certe cognoscitur, quod utrumque stratum simul possit agere; pone enim transversales in parte cavitate prædicta agere, iminuent sane cavitatem; longitudinales autem eodem tempore augebunt. Sunt autem contrarii hi effectus, & utraque actio nunquam concipi potest simultanea.

§. IV.

De corde inter quoscumque anatomicos constat, habere fibras duplicitis seriei; sunt enim fibræ, quas longitudinales vocant, a basi cordis versus apicem oblique porrectæ, & mox dextrorsum mox sinistrorum flexo itinere progrediuntur, quæ, si agant, cor secundum longitudinem reddunt brevius; altera fibrarum series consistit in fibris, quas anatomici adpellant transversales s. spirales, quæ ex omni ambitu super utrumque ventriculum expanduntur inter priores se invicem decussando, spirali flexu ad basin assurgentæ, helicem repræsentantes, ut commode cum linteo, ad exprimendam aquam utrinque contorto, possint comparari: sub quarum actione cor elongatur, cavitates vero angustiores fiunt. Nervum cor habere clarissimum est: dicitur cardiacus, & oritur ex ramis parisi octavi & intercostalis, formantque hi rami celebratissimum istum plexum cardiacum. Ex allata hac structura cordis, omnium, quæ ipsi competent, omnino facile poterit reddi ratio. Cordis enim, uti omnium corporum, essentia in ipsorum structura & fabrica consistit, in qua, demonstrantibus metaphysicis, omnium, quæ prædicari de re quadam possunt, sufficiens reperitur ratio. Præclare igitur falluntur, qui corporis humani structura m

B

sciunt



10 DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

sciunt cum ignarissimis, nihilominus tamen phænomenorum corporis humani rationes, ex principiis nemini adæquate cognitis, demonstrare cupiunt, reiuentes omnem veram & in sensuum testimonio fundatam demonstrationem.

§. V.

Motus progressivus sanguinis adpellatur circulatio, non autem eo sensu, quod quasi circulum mathematicum absolvat atque describat, sed quia sanguis ad eundem locum tendit, a quo abiit. Caroli I. regis Angliæ archistar D. GVILIELMVS HARVÆVS est, cui ob hoc sumum inventum, plene in lucem productum, debemus gratias immortales. Primus enim fuit, qui nobis de circulatione tam claram ideam dedit, ut firmiter in animis radicata & tot seculorum decursu firmata præjudicia extirpaverit. Favet illi fortuna, ut ad multa experimenta variasque observationes instituendas promptam optimamque haberet occasionem, eamque auctoritatem, ut attentionem consequeretur. Invidi quidam ereptum illi laudem iverunt, & modo Regem Salomonem, mox Hippocratem, alio tempore Nemesium, incerti ævi scriptorem, ob paucula verba in favorabilissimum sensum torquenda, produxerunt. Si quid ANDREAS CÆSALPINVS de ea balbutiit, non fuit intellectus. Clarissime tamen omnium rem tradidit REALDVS COLVMBVS, qui integris LXX. annis ante Harvæum suos de re anatomica libros scripsit. Scilicet hic quoque accidit, quod in infinitis aliis solet, ut multæ veritates clare propositæ prætervideantur, quum turba, tam medentium, quam

DE NONVLLIS AD MOTVM CORDIS &c. 11

quam philosophantium, non eat, qua eundum est, sed  
qua plurimi convolant. Miror autem, qui possint aliqui  
laborare de circuli sanguinis notitia Hippocrati vindican-  
da: quum illius ætate ne quidem sciverint sanguinem in  
arteriis secundum naturam contineri, quæ res usque ad  
Galeni tempora multa contentione disputabatur.

§. VI.

Suppetunt autem nobis multa argumenta, quibus  
demonstratur tam arteriis quam venis inesse sanguinem,  
eundemque acceptum a corde arterias in venas propelle-  
re & transfundere, ad cor continuo revehendum. Se-  
quentia tantum allegare sufficiat. 1) Si arteria quædam  
ligatur, ea pars, quæ est inter ligaturam & cor, intume-  
scit & distenditur. Si eadem parte incisionem instituas,  
cum impetu profilit sanguis; infra vinculum autem fa-  
cta incisione parum aut nihil sanguinis erumpit: quod et-  
iam ante inventam circulationem chirurgis maxime fuit  
notum. Docet vero tale experimentum plenas esse ar-  
terias sanguineas, easque recipere eum e cordis scaturigine.  
2) Ligata vena pars inter ligaturam & cor delabitur, pars  
vero ex opposito distenditur; quo edocemur, venas ac-  
cipere sanguinem ab arteriis, 3) si vas quoddam majus  
aperiatur, non diu durabit, quin omnis e corpore pro-  
fluat sanguis & mors sequatur. Quum itaque ex hoc u-  
no vase tota sanguinis massa, ex omnibus vasis sanguini-  
feris, protrudatur, sequitur quoque, ut sanguis per o-  
mnia vasiva sanguifera circulatus & ad locum vulneris de-  
latus sit. 4) Injicias animali cuidam vivo liquorem quen-  
dam coloratum v. g. venæ jugulari dextri lateris, inve-  
nies,

12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

nies, quod idem liquor, dissecta post aliquot tempus arteria crurali, proveniat: quod nequaquam sic contingat, nisi liquor antea per corpus totum fuisset circulatus. 5) Si optimum microscopium caudæ piscis cuiusdam adplicetur, non anastomoses solum arteriarum cum venis, verum etiam progressum sanguinis ex arteria in venam videre egregie poteris. Quæ simul sumta optime de circulo sanguinis, per omnia vasa sanguifera in toto corpore, testantur.

§. VII.

Motus ille progressivus sanguinis certe non fieret, nisi actio cordis potissimum adesset. Ligetur cani vivo nervus cardiacus, cessabit omnis cordis actio omnisque circulatio; hanc itaque a corde potissimum esse derivandam omnes inter se medici consentiunt: confer. *Excellentissimi Senioris FRID. HOFFMANNI Med. syst. rat. part. I. pag. 104. cor.*, inquit, est principium motus & circuli sanguinis. Quomodo vero motus cordis fiat, mox explicaturi sumus.

§. VIII.

Cor, quia est musculus. §. 1. agit contractione §. 3. hæc vero cordis actio primam debet suam originem sensationi, cum subsequente copiosori fluidi nervi influxu; quæ sensatio ab irruente in ventriculos cordis sanguine producitur. Quod vero sanguis irruens in ventriculos sensationem possit efficere, nemo facile in dubium poterit vocare. Physiologia enim docet, ibi fieri posse sensationem, ubi adsunt nervi: hanc vero actu fieri, quando

do continguntur nervi; jam ubi eandem causa, ibi idem effectus subsequatur necesse est. Cor nervis instructum est §. 3. nervi continguntur, hinc ut sensatio fiat sponte patet. Quod vero talis sensationis non simus consciis, facit consuetudo; quare etiam non percipimus motum intestinis proprium, nisi auctior sit redditus. Docet hoc phenomenon cordis ranarum; si acu pungitur, augetur enim tunc sensatio, quam sequitur vegetior motus. Fundatur hoc in principio: quod omnem sensationem excipiatur motus ipsi sensationi proportionatus. Videatur claramissimi & doctissimi D. D. KRVGERI Natur & Lehre part. II. §. 40. 41.

## §. IX.

Comparatur a doctissimis viris cor cum machina hydraulica, quae dicitur ein Druckwerk. Jam videbimus, an talis comparatio in corde & arteriis locum inveniat. Ad machinam hydraulicam requiritur, 1) vis movens, quae fluidis movendis impulsum dat, 2) fluidum, quod moveri debet, 3) canales, per quos circumferuntur fluida. Cor absque dubio est vis movens, sanguis est fluidum movendum, & vasa sanguifera sunt canales, quibus sanguis circulatur: quid inde mirum, si cor jure meritoque comparemus cum machina tali hydraulicā. Vis illa movens, cor scilicet, si mechanice considereremus, similitudinem habet siphonis, ad cuius considerationem pertinet ut habeat 1) cavitatem, quam fluidum quoddam ingredi rursusque exprimi possit. 2) Ut praeditus sit embolo, qui, si extrahitur, fluidum versus se movet, si vero immittitur, fluidum propellit. Cor habet duas ca-

14 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

vitates, ventriculos nimirum; embolus ei revera deficit; loco illius autem sunt fibræ cordis, quæ, si relaxantur, fluidum intrat, si constringuntur, fluidum exprimunt. Habetus itaque in corde machinam artificiosissime constructam, omni humano artificio inimitabilem.

§. X.

Allata iam cordis structura, motu, ejusque comparatione, nunc considerandus est circulus sanguinis, qui in adulto reperitur quadruplex, nimirum 1) *universalis*, ubi sanguis e ventriculo cordis sinistro in arteriæ aortæ ramos, tam descendentes quam ascendentes, horumque opera per totum corpus pellitur, tandem per venam cavam ventriculum dextrum ingreditur. 2) *Particularis*, ubi sanguis e ventriculo cordis dextro, per arteriam pulmonalem, ad pulmones ruit, dein vero per venam pulmonalem ad ventriculum sinistrum defertur. 3) *Specialis*, qua sanguis per arterias coronarias in substantiam cordis progradientur, & per venas ejusdem nominis, partim dextra ventriculo, partim auriculæ dextræ, infunditur. 4) *Speciæfissima*, quæ occurrit in minoribus vasis sanguiferis tunicarum vasorum majorum, in quorum substantia sanguis circulatur. Verum enim vero circulus universalis continet rationem sufficientem omnium reliquarum circulationum: cessante enim universali & cessent postea omnes aliae necesse est.

§. XI.

Alia est circulatio sanguinis in foetu. Fertur enim sanguis ex placenta uteri per venam umbilicalem in sinus venæ

venæ portæ, ex hoc per peculiarem canalem, venosum dictum, in venam cavam, ex hac vero ad auriculam cordis dextram. Hæc quidem maximam sanguinis partem ventriculo dextro infundit, reliqua portio autem immediate ad auriculam sinistram, per foramen ovale, quod in adultis plerumque clausum est, traducitur, e ventriculo cordis dextro sanguis provehitur in arteriam pulmonalem. Quum autem pulmones in foetu collapsi, vasaque compressa sint, arteria pulmonalis non omnem sanguinem ad pulmones dicit, sed per canalem arteriosum Botalli aortæ maiorem quantitatem adfert. Is quidem sanguis, ad pulmones ruens, per venam pulmonalem sinistro ventriculo infunditur. Arteria aorta mittit siuum sanguinem in reliquas arterias, & pro parte in iliacas internas, ex quibus per arterias umbilicales ad placentam uterinam perfertur.

## §. XII.

Paucis nunc quoque videbimus arteriarum & venarum structuram, quo ex illa quædam phænomena possumus explicare. Est arteria canalis coni figuram repræsentans, ex quatuor tunicis consistens, sanguinem a corde ad partes corporis humani universas, & singula earum puncta vehens. Quoad tunicas docetur externam esse vasculosam, a RVYSCHIO sic adpellatam, alteram esse glandulosam, quam WILLISIVS sic adpellat, quia ex multis minoribus glandulis conflata ipsi visa fuit, quæ subtilem lympham pro nutritione arteriarum secernant; tertiam vocari musculosam, ex fibris muscularibus orbicularibus constantem, quartam tandem nominari membra-

16 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

branaceo-nerveam. Ope harum tunicarum tam sensatio fieri potest a sanguine in eas impulso, dilatari etiam sequere in pristinum statum, cessante dilatationis causa, restituere possunt. Enimvero haud reticendum est, quod de tunicis istis non omnes Willisio, aut qui illo longe antiquior est, Galeno, assensum praebant. Praecipue ista muscularis a viris non contemnendis PECHLINO, in exercit. de purgantibus & SCHELHAMMERO de pulsibus impugnatur, argumentis, quibus nemo, quod sciā, respondit. Quamquam res eodem recidit, siue cum Willisio muscularares, siue cum istis duomyiris mere tendineas istas fibras dicas. Certe tamen musculi definitionem istis applicare, salvis anatomicorum & physiologorum ceteris doctrinis, vix aliquis poterit.

§. XIII.

Vena autem est canalis coniformis in quo movetur sanguis ab apice ad basin, ex iisdem, ac arteriae, tunics, inverso modo positis, Willisio iterum docente, constans. Externa enim est membranaceo-nervea, altera vasculosa, tertia glandulosa, quam tandem sequitur muscularis, quæ vero junctum sumtae tenuioris sunt structuræ ac arteriarum tunicae deprehenduntur. Movetur in arteriis sanguis a spatio ampliori ad angustius, si unicum canalem tantum consideres, hinc oblique impellit tunicas arteria. Motus hic adeat compositus, sanguis diagonalem absolvit lineam, & a vi perpendiculari elevatur arteria, quod pulsus arteriarum nominamus. Sanguis vero reflexus, ut angulus incidentia reflexionis sint æqualis, vrgetur a vi compofita, magnamque semper sentit

## DE NONNVLLIS AD MOTVM CORDIS &c. 17

sentit resistentiam. In venis autem abit sanguis a spatio angustiori ad amplius, nullam percipiens resistentiam tunicarum, quo in eos impingat; consequenter non datur pulsus venarum.

### §. XIV.

Quamvis pulsus arteriarum consistat in earundem dilatatione seu diastole; aliam tamen habet rationem pulsus cordis. Impone manum alteram arteriæ radiali, alteram cordi, experieris utriusque pulsum fere eodem momento fieri; quod phænomenon paulo accuratius explicare nobis est animus. Irruens in arteriam sanguis producit eius diastolen; iam non potest sanguis in arterias ruere, nisi a cordis actione propellatur. Actio vero cordis consistit in constrictione seu systole cordis, quando igitur arteriæ sunt in diastole, cor paulo ante debet esse in systole. Quando itaque arteriarum diastole earum erit pulsus; cor autem fere eodem momento pulsare sentitur: erit pulsus cordis illius systole.

### §. XV.

In arteriis moveri sanguinem a spatio ampliori in angustius jam §. 13. audivimus. Hoc autem tantum valet, si de unico canali sit sermo; rami autem junctim sumti sunt semper trunco majores, & quidem in ratione ut 2 ad 3, quare concludimus, sanguinem semper moveri a spatio angustiori ad amplius in arteriis. Quodsi vero celeritates fluidorum sint reciproce ut amplitudines canarium, sequeretur ut lentissime moveatur sanguis in arteriis minimis; sed, testante microscopio, eadem, qua-

C

in



18 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

In majoribus ramis, movetur celeritate; quare alia praeter cor impellens circulationis in minimis vasis debet adesse causa. Hanc autem ponimus in attractione; sunt enim arteriae ultimae angustissimae tubuli capillares, de quibus ex physicis constat, hos fluidum quoddam sponte ingredi. Non itaque est, quod vereantur medici, ne in arteriolis, quia angustissimae sunt, omni momento eveniant obstructions.

§. XVI.

Sanguinem permultum aeris continere egregie docet antlia: hinc sanguis, propter contentum aerem, a calore expandi potest, quod saepius testantur vasa maxime turgida. Aer vero expanditur, si vel externus nimis sit calidus, vel si attritus globulorum sanguineorum versus latera fuerit major. Quod fieri potest, si assumantur paulo majori quantitate spirituosa, aut si instituamus corporis nimium motum, sic pariter, quando cor celerius movetur, & quæ adhuc alia sunt.

§. XVII.

Inquirendum nobis nunc restat, quot vicibus universa massa sanguinis in sano ac robusto singulis horis cor pertranseat? Ad hoc autem obtainendum nonnulla prius observanda sunt; nimirum 1, quanta sit sanguinis in robusto ac sano massa, 2, quantum sanguinis quolibet pulsu e corde propellatur, 3, quot vicibus quavis hora cor se constringat? Primum quod attingi s' mutobus, deinceps diuinata, attinget,

DISSERTATIO INAGREGATIS MEDICIS  
DE NONNULLIS AD MOTUM CORDIS &c. 19

attinet, tantæ ambiguitati obnoxium est, ut ubi pedem figas vix invenire liceat. Ex observationibus doctissimorum virorum quedam attendenda erunt, si hoc determinare volumus. Sic KEILIVS ægrotantem videt, qui decem dierum spatio per hæmorrhagiam narium septuaginta libras sanguinis amisit, vitam tamen conservavit. Apud RHODIVM observat. 31. Cent. II. viginti octo libræ per os & obs. 90. cent. I. viginti duo libræ sanguinis per sputum ejectæ leguntur. Quum igitur, considerata KEILII observatione, ægrotus tamen subtrahito per hæmorrhagiam tanto pondere vixerit, non immerito coniecte licet, quod in ægroto tanta sanguinis copia permanferit, quanta ad actiones naturales atque vitales peragendas necessaria fuit. Arridet nobis KEILII sententia, vniversam massam sanguineam esse quam proxime 70 librarum. Ex analysi autem sanguinis chymica, quam BOERHAVIVS instituit, patet, partem solidam in sanguine arterioso esse ad partem fluidam ut 1 ad 7. in venoso autem ut 1 ad 3. Ponamus hinc omnium fluidorum massam ad partem solidam esse ut 4 ad 1. determinari ex pondere corporis totius potest quantitas partium solidarum & fluidarum, si ponamus per experientiam pondus totius corporis æquale esse 160 librarum; inferendo itaque ut  $4:1 = 160:40$ . patet pondus solidorum esse  $= 40$  librarum, subtrahito hoc pondere a tota corporis massa quæ  $= 160$  invenitur omnium fluidorum quantitas quæ est  $= 120$ . subtrahatur ab hac sanguinis quantitate quæ erat 70, detegitur quantitas fluidorum a sanguine.

C 2

ne



20. DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

ne diversorum. Detecta sic solidorum & fluidorum quantitate, nunc quoque ad propositum redire & posse licebit 1, massam sanguineam esse = 70. librarum, id est 1120 unciarum. 2, quovis pulsu ex ventriculo sinistro duas vncias sanguinis expelli, 3, cor singulis horis quam proxime quater millies se constringere; erit post 560 constrictiones cordis unus sanguinis circulus absolutus: si autem 4000 divididas per 560 dabit, quoties una hora tota massa pertranscat cor, id est septem vicibus.

§. XVIII.

Quilibet & me tacente facile cogitare poterit, quod hic calculus non de singulis individuis accurate valeat. Quum enim celer ac tardus circulus a laxa aut tensa solidorum constrictione dependeat: HOFFMANNI *Med. sst. Tom. I. lib. I. scst. I. cap. 6. pag. 116.* omnino sequitur, ut pro temperamentorum diversitate diversa quoque sit circulatio. Totus vero hic conceptus nequam pertinet ad lusus ingenii aut nudas speculationes. Egregius sane est ejus usus in medicina. Explicari verbi gratia hinc potest, quomodo plerora possit generare spissitudinem; pone enim in corpore esse 80. libras sanguinis, vix tota ista massa sex vicibus pertransiret cor, tardior hinc esset circulatio, qua via est proxima ad spissitudinem; si porro quispiam haberet 50 libras sanguinis, & amitteret per venæ sectionem unam libram, certissime circulus esset paulo

DE NONVLLIS AD MOTVM CORDIS &c. 21

paulo celerior, quod egregium docet usum in cura-  
tione spissitudinis.

§. XIX.

Motu sanguinis in arteriis augetur ab attritu  
calor. Quim vero calore aucto fluidum se expan-  
dat, & rarefiat; sequeretur sanguinem in arteriis se ex-  
pandere, quod autem propter crassas arteriarum tu-  
nicas non sic fieri potest. Simulac autem sanguis ve-  
nas intrat, nullamque plane sentit resistentiam, expande-  
re se potest & rarefieri, & hoc eo melius, quia ab an-  
gustiori spatio ad amplius movetur. Tum vero rare-  
factus tali modo sanguis ex ventriculo dextro pellitur  
in arteriam pulmonalem, & per illius innumeros ra-  
mos, qui combinantur cum ramis bronchialibus, trans-  
cunt particulae igneæ e sanguine in aerem bronchio-  
rum cavitatem contentum, tanquam corpus sanguine  
frigidius, & hoc eo citius, quo magis rami sint divisi,  
quod in rete Malpighii vasculoſo optime evenit. Quum  
igitur particulae igneæ in pulmonibus abeant e sanguine  
in aerem inspiratum, sanguine frigidorem, minui-  
tur sanguinis magnitudo & minus occupat spatium:  
quod si fiat, sanguinem condensari dicitur. Patet hinc  
cur venæ pulmonalis ramifications longe minores  
sint diametro, quam diameter arteriæ. Condensatus  
igitur sanguis ingreditur ventriculum sinistrum, qui,  
quamvis dextro minor, eandem tamen recipit quan-  
titatem, quam antea in dextro fuit.

C 3

§. XX.

42 DISS. IN AVG. MED. DE NONN. AD MOTVM &c.

§. XX.

Atque hæc nunc pro ea temporis, quæ elaborationi thematis hujus suppetiit, copia sufficient. Ab rumpenda est enim tela, quum multa sint, quæ abituin a dilectis musis Fridericianis præcipitare imperant. Faxit DEVIS, ut ille, quem ad artis exercitium faciam, transitus felix, faustus, fortunatusque eveniat.

T A N T V M .



NOBI-

NOBILISSIMO ET PRÆCLARE DOCTO  
**DN. CANDIDATO**

FRIDERICVS HOFFMANNVS

ACAD. SENIOR.  
IENS DEAS, a. 11. 16. 16. 16. 16.

Quum per totum vitæ academicæ curriculum,  
quod per quatuor integros & quod excurrit  
annos, in nostra Fridericiana es emensus,  
indefessam TVAM in addiscenda professione nostra  
salutari industriam, cum morum probitate & suavi-  
tate comitatam, subinde cognoverim, non modo TE  
plurimum amare, sed & multa bona de TE augu-  
rari coepi. Neque spes me fefellit, quandoquidem,  
quoties TECum privatim de rebus medicis collo-  
quutus sum, & TVVM exploravi judicium atque  
sententiam, non possum diffiteri, quin egregie mihi  
satisfeceris. In disputationibus publicis, cum op-  
ponentis vices egeris, promptum TVVM atque  
expeditum ingenium auditoribus satis declarasti.  
Tanto, vero magis exquisitam TVAM tum in  
theo-

theoreticis, tum in clinico-practicis ad rationalem  
medendi methodum pertinentibus, eruditionem bi-  
nis examinibus ordini nostro comprobasti, neque  
unquam dubitavi de TVIS egregiis profectibus,  
quoniam optima methodo disciplinam medicam  
comprehendendi instructus es, primum Berolini,  
duce dilectissimo Fratre, celeberrimo Professore,  
Fautore meo ac Amico plurimum colendo, & ana-  
tomicis & physiologicis egregie profecisti, postea  
ad nostram Academiam delatus in chemicis sub  
charissimo meo filio, in observationibus & con-  
sultationibus praticis sub mea & reliquorum do-  
minorum Professorum cura & studio in collegiis  
propositis tantos assequutus es profectus, ut TE,  
quem ad vacantem functionem physici civitatis  
Rathenauensis senatui amplissimo commendarem,  
dignum judicaverim; quam spartam sub divi-  
na benedictione non modo ut suscipias, sed & in  
salutem agrotantium exoptatis consiliis atque au-  
xiliis ornes, ex animo voveo atque appreco.

Vale. Hale Magdeburgica d. 1. Aug.

M.D.C.C.XXXXII.

NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOM. CANDIDATO

S. P. D.  
PRAESES.

**S**oleo saepius mecum considerare diuersam omnino atque variam fortunam hominum, tam eorum, qui vivunt, quam qui vita hac fundi liberos reliquerunt, nominis sui atque facultatum heredes: atque sentio semper me hac cogitatione non solum in aduersis erigi, verum etiam insigni modo confirmari in illa, quæ pias mentes sustentat, verissima sententia, esse deam, qui res humanas prouide dirigit, Et eorum, qui ipsi sois confidunt, atque officio suo omni in deum atque homines pietate satis facere pro virili amittuntur, res numquam deſtituit. Præma certe, quæ talibus benignissime promissa sunt, non circumscribuntur breuis huius vite angustus, sed Et cuique æterna manent ex hac vita abeunti, Et in posteros ejus, niſi præcaedem a ſe repellant, tempeſtive redundant; ut videant homines atque agnoscant præcipuum aliquam felicitatem eos comitari Et in omnibus adiunare. Non e longinquo mihi repetenda huius asserti comprobatio videretur. Felicis memorie parentem TIVVM, venerandum, per multos annos Et dæſtissima ſpacia terra, euangelii præconem, qui in noſtra tandem urbe ſacro munere funditus Et pie defunctus eſt, ſubinde ad animum meum reuoco. De vita eius cum varia ſando ab aliis percepifsem, iucundissimum mihi fuit pleniffimam expoſitionem legere in illo commentario, quem ipſem et viuis adornauit, ut ſuts eſſet perpetua reordinationi. Illum autem beneuole mecum communicauit fra-

ter TVVS, medicus & professor apud Berolinenses excellen-  
tissimus, cuius erga me benevolentiam sèpius spectatam omni  
officio conseruare studio. Bone deus, quam mibi diversus vi-  
sus fuit ille parens TVVS ab aliis infinitis! Cucurrit & va-  
gatus est ab Archangelopoli ad Caspium mare, per Siberiam,  
Calmuccos, Casanenses, Astracanos, ut inter remotissimos bar-  
baros degentibus Christianis, euangelicam doctrinam sequen-  
tibus, institutione ad fidem & vitam sua professione di-  
gnam, sacrorumque mysteriorum administratione ac dispen-  
satione, prodeisset. Atqui hoc non facere solent, quibus rei  
familiaris cura est, quique familie sustentande & locu-  
pletande sollertem, ut patrem familias decere putant, na-  
uant operam. Fuit is ex secta sancti PAULLI, qui Christo  
militaturum hoc anctoramento ad signum dedit (\*):  
ἐχοντες διατεροφας και σκεπάσματα, τόντοις αγνωστούσιμε-  
σα: & porro: οὐ διν κακοπάθησον ἡς παῖδες σερτιώτης Γησοῦ  
Χριστοῦ: ὅνδεις σερτευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγμα-  
τείαις. Ita se se gerentem nemo mirabitur, si vocatus ex  
statione vite huius, non amplas familie sustentande opes  
reliquit. Enimvero DEVS, pro sua benignitate, reliclæ pro-  
li opibus præclarissimis abunde prospexit, mentibus serenis  
& perspicacibus, ut ad optima studia artesque delati facile  
omnia haurirent recteque digererent: indidit etiam mori-  
bus illam a fastu & arrogancia alienam facilitatem, que si-  
bi omnes honesto & prompto obsequio adiungit, quo ad ami-  
citas parandas atque conseruandas nihil est efficacius. & si  
honesti laboris accedat tolerantia, ad opes etiam comparan-  
das nihil certius. His stipendiis sublevatus celeberrimus  
frater tuus Serenissimi REGIS gratiam, torius regiae urbis  
ampium fauorem, & per orbem eruditum omnem clarissimum  
nomen consequitus, ad ampliora virtutis sue præmia pro-

gredi-

I. ad Timotheum VI. 8. & posterioris II. 3. 4.

greditur. TV vero; Candidate nobilissime, iisdem vestigiis insitens, cum laude decurristi academicæ vita stadium, iamque omnibus rebus optime instructus progrederis ad illud manus, quod TIBI, commendante illustri HOFFMANNO, rite delatum & creditum est. Nihil opus est mei de TE, TVIS que prosectoribus, iudicij testimonio, quod a tanto viro accepisti luculentissimum. Gratulor itaque TIBI felices, ad hoc usque tempus, progressus: quos ut DEVS benignissime pruebat, TIBIque plenissime elargiatur, quos omnia ac faneo, per reliquam omnem vitam successus, toto animo appreco. Certissime id consequeris, si subinde paternæ fidei ac probitatis memor ad ipsius exemplum quam proxime accedere allaboraueris. Hale Magdeburgice, Kalendis Augusti clo Is cc XXXXII.

---

PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**  
S. P. D.  
D. JO. GOTTLÖB KRUGER.


**E**x laudabili diligentia, cuius iam praeclarum specimen edis, latisque studiorum progressibus tantam ego capio voluptatem, quantam percipere potest TVI amantissimus. Quare has litteras cum bonis verbis ad TE dandas omnino existimau, ut semel & TIBI de faustis studiorum primitis & Fratri TVO Excellentissimo de finiture eruditiois sue annulo publice gratuler. Dicam, quod res est. Recte & laudabiliter mihi agere videris, quod cordis motum a sensatione originem trahere affirmaueris. Per spexit nimirum theorematis, quod

quod sensationem in corpore animali semper excipere debeat motus sensationi proportionatus, secunditatem. Nisi enim totus fallor, huic propositioni generali omnis theoria artis salutaris innititur, estque illa verum in medicina demonstrandi principium, atque, quantum ego iudico, unicum remedium, quo dissensus inter medicos, illustrem STATHLIVM secutor, & illos, qui mechanice de corpore humano philosophari precipiunt, auferri potest atque deleri; quamvis ambabus largiar, hanc ecclesiarum medicarum unionem vix fieri posse & ex voto succedere, nisi vierque paululum de sententia sue rigore remittat. Quodsi enim motus a sensatione oriuntur, producuntur quidem ab anima, non vero pendent a sapientia eius, sive quod eodem redit a distincta cognitione, sed eueniunt potius vi legis appetitus, quem non alium in finem efficiantur, quam ut sensus quidam molestus remouatur gratusque excitetur, id, quod cuilibet per exempla eundo facile patebit. Motus tamen in corpore omnino secundum leges motus, structurae eius conuenienter, hoc est mechanice peraguntur, neque aliter, nisi ex principiis physicis & mathematicis distincte concipi atque resoluti possint. Ingressus es, Doctissime DOMINE CANDIDATE hanc viam omnium in addiscenda medicina optimam. Me enim praeunte matheſi & philosophiae naturali operam dedisti indefessam, quem optime cognoveris, excitatos a puluere & radio viros in reliquis litteris tractandis tantum non semper aliis fuisse feliciores. Fundamentis his rite positis, ad ipsa artis salutaris intimiora sacra laudabiliter penetrosti. Accedit ad hæc morum insignis suauitas & elegancia, qua omnium TIBI amorem & amicitiam conciliasti, hac vero cum eruditione coniuncta felicitatis portum vix vltus præterlabitur. Ecce hoc est, quod

TVI amanissimus TIBI sincere adprecatur,

Dabam Hale d. 1. August.

M D.C.XLII.



01 A 6507


f




TA-706

nur 10. Seite bis vor verknüpft

VDK





*DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
NONVLLIS AD MOTVM  
CORDIS ET CIRCVLATI-  
NEM SANGVINIS PER-  
TINENTIBVS*

*QVAM*  
PRAESENTE  
**D. IOANNE HENRICO SCHVLZE**  
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQUITATVM ET  
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PUBLICO  
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM  
ET PETROPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIA-  
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS  
SODALE.

**PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA LEGITIME  
OBTINENDIS HONORIBVS**

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

*A. d. Aug. MDCCXLII.*

# A V C T O R

AVGVSTVS SCHAARSCHMIDT  
HALENS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.